

• tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis hacte-  
• nus quomodolibet concessa, quorum omnium tenores ac si de  
• verbo ad verbum insererentur, presentibus haberi volumus pro  
• expressis, quatenus sint in usu, Apostolica auctoritate approbes  
• et confirmes, ac suos plenarios effectus sortiri, et ab omnibus in-  
• violabiliter observari debere, eosque illis omnibus libere uti frui  
• et gaudere posse decernas, et nichilominus veris existentibus pre-  
• missis per te, vel alium, seu alios presentes literas, et in eis contenta  
• quecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eo-  
• rumdem Grecorum desuper fueris requisitus, solemniter publican-  
• dum ipsique Grecis in premissis efficacis defensionis presidio as-  
• sistendo, facias eos advocatione, extinctione, silentii impositione,  
• approbatione, confirmatione, et decreto predictis, ac aliis in pre-  
• sentibus litteris contentis pacifice frui et gaudere, non permitten-  
• do, eos desuper per quoscunque contra eorumdem presentium  
• tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet et rebel-  
• les, ac tibi in premissis non parentes per censuras et penas eccl-  
• siasticas, ac etiam pecuniarias tuo arbitrio moderandas, et appli-  
• candas appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc,  
• si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus premissis,  
• et constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non posterio-  
• ribus Clementis et nostris litteris hujusmodi, ac per illas seu alias  
• quomodolibet factis licentie facultatis, exemptionis, subjectionis,  
• privilegiorum, immunitatum et indultorum hujusmodi suspensi-  
• nibus, moderationibus aut revocationibus contrariis quibuscumque,  
• aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indul-  
• tum, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per  
• litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de ver-  
• bo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Rome  
• apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die XXII junii  
• MDXXXIX. Pontificatus nostri anno quintodecimo.